



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

481. In quas qualitates electi confirmator teneatur inquirere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

gentia hac commissa in dicta inquisitione in iudicio constare, unde requiratur processus & causa instructio. Verum non videntur hæc pœnæ locum habere, ubi ea omiſſa vel negligenter instituta dicta inquisitione actu non sequitur confirmatio indigni aut electionis invalida. Illud etiam notandum, quod habet Pass. n. 114, nempe quod pœnæ *cit. v. nihil.* locum non habeant, si ex negligentia caſſetur electio confirmanda, sed solum in confirmatione, per quam confirmatur electio caſſanda; eod quod de sola confirmatione textus ille loquatur, uti & textus *c. fin. de elect. in 6.*

Quaestio 480. Quid circa electionem inquirere, unde & qualiter se informare debeat confirmator?

Respondeo ad primum: inquirere debet de forma & serie electionis, num canonice facta, & nihil substantiale prætermiſſum sit. Pirh. *loc. cit. n. 317.* Laym. *ad c. postquam, de elect. n. 6.*

2. Respondeo ad secundum: potest se confirmator desuper informare, eique constare ex decreto electionis continere totam seriem seu processum electionis descriptum authenticè. Pirh. & Laym. *ll. cit.* citantes Gl. in *c. innovit, de elect. v. decreto.* Innoc. *ibid. n. 3. eod. v. But. n. 15.* Abb. *n. 14.* facit siquidem hoc decretum plenam fidem, si per publicam personam seu tabellionem confectum fuit, attestantem, omnia fuisse gesta in sua & testium præſentiâ. Pirh. *loc. cit.* citans Abb. *ubi ante.* & Sylv. *v. electio. q. 18.*

Quaestio 481. In quas qualitates electi confirmator teneatur inquirere?

Respondeo: imprimis ac potissimum inquirere debet in legitimam aetatem, scientiam, Ordines electi. *c. cum nobis, de election.* Laym. *in c. postquam, de elect. n. 5.* Pirh. *ad tit. de elect. n. 318.* Ceteræ qualitates, in quas inquirendum, spectant mores ac vitam electi, enumeranturque *ferè c. 2. d. 23.* ubi, qui Episcopus ordinandus est, ante omnia examinetur, si naturâ sit prudens, docibilis, moribus temperatus, vitâ castus, sobrius, suis negotiis cavens, humilis, affabilis, misericors &c.

Quaestio 482. An, dum nullum est de defectu electi indicium, nullus rumor; quin & publicato edicto, nullus apparet contradictor, nihil contra ejus vitam, mores, aliâque in eo ad praelaturam, ad quam electus, requisita auditur, nihilominus adhuc fieri debeat in qualitates illius inquisitio?

Respondeo primo: supponendo, quod ubi vel electo opponitur aliquod delictum, vel ubi de eo diffamatus est, vel etiam ubi est probabilis rumor privatus de aliquo illius defectu, confirmator teneatur inquirere, vel per specialem inquisitionem, si infamia contra illum, vel indicia sunt talia, ut ad sic inquirendum sufficiant, vel opposcentes insens, vel ipse procedendum iudicet; vel per inquisitionem generalem, si indicia sint leviora, & electus non diffamatus, sed solum contra illum sparsus sit rumor aliquis talis, ut inducat probabile dubium vel rationabilem suspicionem de delicto aut defectu electi: nequit enim confirmator confirmare electum, dum dubius est de illius ido-

neitate, donec se informet de veritate. Pass. *cit. n. 318. n. 83.* Hoc supposito,

2. Respondeo secundò ad quaestionem affirmativè. Lot. *l. 2. q. 18. n. 48. & 49.* ubi ait: etiam nemine opponente, quin & oppositore deficiente & renunciante, confirmatorem ex officio posse in illa inquirere. Sed & debere adhuc inquirere, hisce expressis statuitur *c. cum nobis, de elect. quoniam contra personam illius, quem elegisti, nihil dictum fuerit vel obiectum; quia tamen juxta verba Apostoli 1. ad Timoth. 5. dicentis: nemini cito manus imponas, debemus attendere diligenter ad ea, quæ circa personam inquirenda fuerant &c.* Laym. *ibid. n. 6.* Pirh. *ad tit. de elect. n. 317.* Barboſ. *juris Ecclæs. l. 1. c. 19. n. 252.* Distinguit nihilominus Lamb. *de jure Abbat. Tom. 1. d. 6. q. 2. n. 6.* citans pro hoc *c. in Lateran. de prob. c. constituit. il. 1. de Appell. Nav. conf. 2. n. 3. de elect. Pass. cit. n. 83.* citans insuper Samuel. *tr. 1. d. 8. concl. 2. n. 24.* Lavor. *c. 25. n. 57.* ut procedat, ubi electus & populo, & confirmatori est ignotus, eod quod confirmator nullum confirmare debeat, de cujus idoneitate non sit certus moraliter; multò magis etiam in confirmatore sit necessaria noticia de electo, quàm in electoribus. Secus verò, seu nullam aliam inquisitionem necessariam se credere, ubi electus ille est populo & confirmatori valde notus, & communiter uti dignus approbatus.

3. Respondeo tertio: sed neque, ubi nihil in contrarium urget, electus præsumi debet idoneus, ita ut ob hanc præsumptionem cesset obligatio inquirendi. Nam imprimis qualitates illæ, quas Gl. *m. c. si forte, de elect. in 6. v. scientia.* extrinsecas, aſſertivas, seu quasi ab extrinseco advenientes vocat, nimirum ætas, scientia, Ordo, non præsumuntur inesse, nisi probentur, & hinc in has potissimum inquirendum. Pass. *n. 86.* Laym. *in c. postquam, de elect. n. 5.* Pirh. *cit. n. 318.* Unde etiam, licet, ubi citata has qualitates defectus aliquis objiciatur electo, objiciens teneatur illum probare. Pass. *cit. n. 86.* citans *c. 1. c. ut circa. c. si forte, de elect. in 6. c. cum dilectus, de elect. c. tam literis, de testibus;* cum excipiens excipiendo fiat actor. *l. 1. ff. de except.* Barboſ. *ad cap. si forte. num. ultimo.* Si tamen nullus sit opponens, & in dubium verratur talis qualitas extrinseca, pertinet ad electum, eam probare. Pass. *loc. cit.* citans *c. cum nobis. c. cum dilecti, de elect.* Gl. *in c. si forte. v. scientia.* Abb. *in c. postquam, de elect. n. 7.*

4. Deinde qualitates aliæ intrinseca (dicta non tam ex eod quod homini quasi innatae sunt, ut Gu. paulò ante *cit.* cum virtutes non sint à naturâ, nec cum ea nascantur, sed magno labore, divinâ adjuvante gratiâ, acquirantur: sed potius ex eo, quod in tantum homini connaturales sunt, seu secundum humanam naturam, in quantum est proprium ejus bonum, vivere ex recta ratione, & vitium fugere, adeoque ad hoc natura, quantum est ex se, inclinet. Pass. *n. 84.*) puta, quod quis verax, castus, sobrius, pacificus, humilis, misericors &c. sit, & si præsumenda sint inesse alicui, habendusque quis sit pro viro bono ac integro, quamdiu non est, quod contrariam præsumptionem inducat; id tamen intelligendum, ubi nihil mihi est eum aliquo negotii; unde nec tunc in vitam illius inquirere oportet; at tamen dum agitur de promovendo ad dignitatem & officia ecclesiastica, bonitas illa intrinseca non præsumitur, nec sufficit negativa illa noticia, ex eo confurgens, quod nemo præsumatur malus: sed requiritur positiva illa noticia; & non secus, ac dum